DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

DE

ENTERITIDE,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI DECANI,

NEC NON

CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM,

PRO

DOCTORIS MEDICINAE LAUREA RITE OBTINENDA

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA

UNIVERSITATE VINDOBONENSI

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

Mathias Scholz,

Moravus Lipnicensis.

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus die mensis Julii MDCCCXXVII.

VINDOBONAE,

TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

QUIBUSCUMQUE

ULLUM DEBET BENEFICIUM

gratissimi animi

AUCTOR.

Definitio.

Variam varii medicinae auctores de enteritide statuerunt definitionem. *Boerhave* agit: a) Inflammatio intestinorum est dolor acutissimus ardens, fixus, cum vomitu, alvo clausa et febre.

Sauvages: b) dolor circa umbilicum vehemens, cum meteorismo pyrexia acuta ileo vel dysenteria.

Linnaeus: c) febris cum evacuatione abdominis, colica atroci, tensiva calente.

Vogl: d) intestini inflammatio, febris assodes, phricodes, cruciatus ventris intolerabilis, flatuum et stercoris retentio aut dysenteria.

Cullen: e) pyrexia typhodes, dolor abdominis pungens, tendens circa umbilicum, torquens, vomitus, alvus pertinaciter adstricta.

Frank: f) jam magis completam statu it definitionem. Juxta illum enteritis est morbus cum febre acuta,

---

a) Aphorismus. 960.
b) Nosolog. meth. T. 2.
c) Cullenii Synop. morb.
d) Definit. gener. morb.
e) Synop. morb. gen. XVI.
f) Epitome de curand. hom. morb. T. 2. p. 249.

cum tensione et dolore interno, vel ad unam vel ad omnes regiones extenso, ardente, pungente, acutissimo per vices moderato, sed mox redeunte ac ad summam atrocitatem adaucto cum vomituritione, meteorismo pertinaci, ut plurimum alvi obstructione ac interdum cum diarrhoea et tenesmo.

Optime autem enteritidem cel. *Schwediauer:* g) sequenti modo definit: Est morbus cum pyrexia primaria vel secundaria, cum pulsu frequenti, quandoque forti, suppresso vel duro, quandoque molli, contracto et duro. Dolor in quadam parte abdominis, prout vel intestinum duodenum, vel caecum, vel colon, aut rectum, afficiuntur, varians, saepe summe acutus, plerumque circa umbilicum torquens, quandoque per totum abdomen extensus, pneumatosis, alvus pertinaciter adstricta, nausea, vomituritio, vomitus ingestorum et dein etiam faecum.

Symptomata et decursus morbi.

Tractus intestinalis e pyloro productus, ad anum vero desinens, mole ceteris in cavo abdominali contentis visceribus longe major, maximam partem cavitatis explet, et peculiarem in variis suis portionibus, tum in situ nexuque, tum in lumine, fabrica et sua functione differentiam ostendit.

---

g) Systema Nosol. method. T. 1. p. 92.

Qui itaque si patitur, rarissime in sua tota longitudine afficietur, unde facile intelligitur, et symptomata alia atque alia esse debere prouti nunc portio tractus intestinalis tenuis lumine minor, nervis vasisque ditior, ventriculo propior, vel vero portio illa tubi alimentitii crassa lumine major et copiosis glandulis muciparis provisa inflammata fuerit, et inflammatio vel totum parenchyma intestinorum, vel solum membranam illorum internam villosam quoque mucosam dictam detinuerit, et ad majorem vel minorem plagam extensa fuerit, decursumque vel acutum vel chronicum sumserit h).

Tenuia intestina prae crassis saepius inflammatione corripi, observatione medicorum practicorum confirmatum est.

Enteritis sequentibus symptomatibus insignitur: Hic morbus nonnumquam cum horrore incipit, cui dolores intestinorum se associant; observatur tamen, quod unacum doloribus intestinorum vel et post eorum invasionem febris cum horrore suum introitum salutet, prouti nunc jam inflammatio intestini orta est, aut vero praegressa intestinorum convulsio absque febre saevos dolores produxerit, tunc nata inflammatione, febris sequitur. Horrorem excipit aestus cum frequenti, duro, parvo, inaequali pulsu frigusque extremitatum; magna sub virium prostratione vexat

---

h) Joh. Nep. Nobil. a Raimann Handbuch der speciellen Pathologie und Therapie. 1. B.

aegrum dolor continuus, profundus, motum intestinorum sequens, varians vel fixus, urens, constringens, contorquens restrictus vel ad regionem umbilicalem, vel adscendit ad costas usque, (quo facile pro dolore pleuritico haberi possit) modo sub spurias costas huc et illuc vagat, ita ut jecur aut lien dolere videantur, item et ilia quandoque dolent, aut si rectum patitur, tum ad regionem lumbalem vel os sacrum indicatur. Ab initio hic dolor est mitis et ad plagam minorem restrictus, sensim magis magisque ad totius abdominis plagam extenditur, mox remittit, mox immaniter ingravescit, et nonnumquam tantum attingit gradum, ut aeger paroxismum persentiens, vultu miserabili atque ejulatu ceu praesentem exhorret et aversatur i). Hic dolor levissimo attactu, quolibet motu corporis, vomituritione, vomitu, inspirio profundo, tussi, sternutatione, imo et a levi stragulorum pressione, sub conamine alvum deponendi, quolibetque motu intestinorum quem sequitur, exasperatur. Abdomen multum calens, meteoristice inflatum valde sensile animadvertitur; his se associant nausea, vomituritio inanis et vomitus; lingua sicca, nonnumquam rubra, sitis magna, anxietates praecordiales, tussis, respiratio citata, brevis, inspiratio profunda ob diaphragmatis ad intestina pressionem impedita observatur; adest porro vel per-

---

i) Syden: Opera univ. sect. IV. cap. VII. p. 259.

tinax alvi obstructio, aut diarrhoea: urina excernitur parca, flammea.

Aucto morbo constantior et magis intolerabilis fit dolor; accedunt singultus, lipothymiae convulsiones, delirium; vomitus increscit, oritur ileus, et tandem scenam tristem claudit mors.

Cum autem intestina tam tenuia quam crassa inflammatione prehendantur, hinc symptomata, superius recensita juxta inflammationis sedem plus minusve emergunt. Quo propius inflammatio ventriculo haeret, eo magis observantur nausea, ructus, vomituritiones, vomitus, anxietates, singultus, dolor magis in regione umbilicali locum fixum tenet, et febris validior est.

In intestinorum crassorum, praeprimis autem recti inflammatione praesto est tenesmus, quo mucus albus copiose exprimitur, atque intestinum ipsum tanquam pannus scarlatinus rubens cum ingente dolore ex sede sua protruditur. Dolor dein magis urget in regione lumbali sub costis spuriis, et vel in hoc vel alio latere molestat. In viris saepe etiam molesta vexat stranguria k).

Qua symptomata hujus morbi essentialia adduci possunt: febris, dolor inflammatorius intolerabilis, et vel alvi obstipatio vel diarrhoea. Interim non obstantibus his enteritidis signis medicus practicus quam

---

k) Hippocrates Aph. 58. Sect. V. Chart T. IX. p. 250.

maxime attentus esse debet, ne morbum hunc praetervideat, nam teste *Riverio* l); *Haenio* m), datur intestinorum inflammatio absque febre et dolore. *Rosa* n) universum systema intestinorum inflammatione corruptum invenit, quin in toto morbi decursu minima pulsus intensio aut febrilis motus observari potuisset. *Simson* o) dicit: non decipiantur medici, credentes, nullam intestinorum inflammationem adesse, si febris absit. Sic secto cadavere detecta fuit intestinorum inflammatio, qua aeger durissimis sub doloribus animam efflavit, quin minima febris vestigia observari potuissent p).

Enteritidem absque omni dolore describit *Morgagni* q).

Signa, quibus haec intestinorum inflammatio occulta cognosci possit, docet *Morgagni* r): „Pulsus „humilis et debilis potius, et qui, si bene attendas, „sibi obscure et dissimilis sit, abdomen autem tensum „et durum cum dolore quodam, facies denique insoli„di aliquid, sed in aliis aliud ostendens, ut interdum „oculos quasi exterrefactos, alias livorem quemdam „circa labra animadverterim, haec inquit, fere, nam

l) Med. pract. Vol. IV. T. 11.
m) Ratio medendi P. XIV. sect. 1. cap 3.
n) Acta n. c. T. 8. obs. 47.
o) Morgagni epist. XXXV. n. 22.
p) Acta. n. c. T. 1. obs. 74.
q) De sede et causa morb. epis. 29. n. 11.
r) L. c. n. 21.

„aliquando linguam etiam adnotavi haud bene se ha„bentem et quamdam sitim, mihi accidit, ut in ejus„modi casibus se observanda praebuerint."

Praecipe inflammationes hae intestinorum occultae, in febribus biliosis putridis et nervosis, si morbo diutius durante, neque emetica neque purgantia mitiora, nec venae sectio aut refrigerantium usus dolorem aliosque capitis affectus et ciborum aversationem tollere valent, si lingua muco fusco vel nigro tegitur, si aegri anxie respirant, sensum gravativum inamoenum in quacumque abdominis regione accusant, si singultus et genarum rubedo se associant, abdomen durum et tensum est, suspicari licet.

Quamvis non desunt medici, qui inflammationes in febribus putridis occurrentes non qua tales agnoscunt, et e serie horum morborum expugnandas esse censent; interim et dantur alii, qui experientia sua ad lectulos aegrotantium facta, sectione cadaverum et descriptione morborum relicta hanc complicationem luce clarius evincunt. Sic *Darluc* s) de epidemia bilioso-putrida loquitur, in qua juxta cadaverum sectionem omnes hoc morbo laborantes potius ab inflammatione intestinorum abripiebantur. Idem *Spiegl* t) affirmat, dicens, quoties mecum repeto, quae in dissectione a

s) Journal de Med. T. XI. p. 61.
t) De feb. semitert. T. 11. c. 19.

Semitertiana demortuorum observavi, toties nil aliud potui cognoscere, quam inflammationes in ventriculo, intestinis, liene etc. *Lind* u) in febre Indiorum flava eandem fecit observationem. *Ferro* v) describit febrem mesentericam Baglivii acolluvie impuritatum in abdomine, inflammatione intestinorum occulta stipatam. In febrium mesentericarum continuatione dicit: fefellit morbi initium remissione, gustu amaro, lingua impura, ast latuit inflammatio intestinorum tanto vehementior, quanto mitiora ab initio monstraverat symptomata w). Idem auctor finita historia de duobus aegrotis febre ardente *Hippocratis* laborantibus x) monet: docet haec historia, quam tenso sub involucro latere possit inflammatio, ita ut sanguis dissolutus aliquot diebus post densissimam phlogoseos tenacitatem praesente licet omni bilioso et putrido apparatu primaria morbi sit causa, quae praecipuam medici curam exposcit.

Inflammatio intestinorum, quae primaria et substantiva est, acutissimum amat decursum, et feliciter aut infeliciter jam tertio, quinto aut septimo die judicatur. Symptomatica vero in longius, et nonnumquam

---

u) Versuch über die Krankheiten, denen die Europäer in heissen Climaten ausgesetzt sind.

v) Ephemer. med. p. 32.

w) L. c. p. 46.

x) Ibidem p. 167.

in chronicum protrahitur tempus, incedit, ut plurimum minori cum intensitate, symptomatibus haud adeo essentialibus vel eminentibus, et inde difficulter cognoscitur.

Divisio.

Sauvagesius y) enteritidem dividit in idiopathicam et symptomaticam. Ad primam pertinet 1. iliaca, 2. colica. Ad alteram 1. enteritis flatulenta, 2. enterocelica.

Petrus Frank z) intestinorum inflammationem divisit in *phlegmonosam*, quae profundius in tractus intestinalis membranis, imprimis cellulari sedem figit; et *erysipelaceam*, quae externam potius canalis intestinalis superficiem occupat. In primariam, quae nullo alio morbo praegresso aegros praehendit, et secundariam, aliis morbis succedentem, quae posterior auctore *Frank*, ad erysipelaceam potius spectat, et nonnumquam epidemico quodam influxui originem debet.

Cel. *Schwediauer* a) hanc enteritidis habet divisionem:

1. Enteritis phlegmonodes, ubi inflammatio residet in membrana cellulosa.

---

y) Synop. morb. Cul. Gen. XVI. p. 172.

z) Epitome de curant. hom. morb. T. II.

a) Nov. med. rat. systema vol. 1. pag. 93. Halae.

2. Enteritis blennodes, ubi inflammatio mucosam obsidet.
3. Enteritis inodes, si membrana fibrosa inflammatione occupatur.

Harum species statuit:

a. Enteritidem sthenicam. Illius symptomata sunt pulsus frequens, parvus, contractus, suppressus, nonnumquam etiam fortis, plenus et durus.
b. Asthenicam, ad quam spectat putrida et typhosa.
c. Metastaticam, a materia morbosa, metastatica, in tubo intestinali decumbente, e. g. a metastasi lactea, arthritica, rheumatica, erysipelacea etc.
d. Enteritidem biliosam a bile acri, in tubo intestinali redundante eumque irritante.
e. Enteritidem spasmodicam, quae vel a flatibus vel animi pathematibus, vel a calculis felleis ductum choledochum irritantibus oritur.
f. Stenoticam, quae coarctationi ubi intestinalis, aut herniae, aut volvulo aut faecibus induratis, vel accumulatis, aut vermibus originem debet.
g. Traumaticam, quae violentiis externis tubo intestinali illatis exoritur. Dispescitur denique adhuc in activam et chronicam.

Cel. Consil. Nobil. a *Raimann* b) distinguit enteritidem stipatam cum febri inflammatoria, aut ner-

---

b) **Handbuch der speciellen Pathologie und Theraphie. 1. B**

vosa, aut putrida; denique phlegmonosam, catarrhalem et rheumaticam: substantivam et derivatam aut symptomaticam; primariam et secundariam; idiopathicam, sympathicam et metastaticam, acutam et chronicam. Qua modificationem peculiarem dysenteriam considerat.

Differentiae ab aliis morbis.

Morbi, quibuscum intestinorum inflammatio confundi potest, sunt:

1. Rheumatismus acutus membranarum serosarum musculos abdominales obvestientium. In adfectione rheumatica febrilia symptomata relate ad doloris intensitatem sunt mitiora, calor aequabiliter per omnem corporis ambitum est auctus, extremitates non frigent; dolor est hic superficialis trahens, lacerans, pungens, scindens, ex uno ad alium locum migrans, vel et alias partes: ut extremitates, regionem scapularem tenens; manifesteque remittens; rubedo superficialis est conspicua. Hic dolor quolibet motu corporis levi pressione, crurum adtractione exasperatur. Desunt nausea, ructus, vomituritiones, vomitus et tenesmus etc.; ab ingestis nec ea provocantur, nec dolor augetur. Alvus nec adeo obstipa, nec diarrhoica.

Totus morbus licet multos cruciatus aegro infert, tamen mitiori in omnem respectum decurrit modo, remissiones luculentas, et exasperationes solitas absque praecedente horrore facit.

2. Inflammatio musculorum abdominis. Febris, si inflammatio non tanta est, aut nulla aut mitis comitatur hunc morbum. Dolor hic est tensivus ad locum inflammatum restrictus. Tumor durus figuram musculi affecti offerens, calor major, et rubor profundior in loco adfecto observatur, musculi adfecti motus est impeditus; presso tumore dolor exasperatur, reliquis plagis aut non, aut solum in vicinia tumoris dolentibus. Deficiunt nausea, ructus, vomituriționes et vomitus; ab ingestis et sub depositione alvi dolor nullus causatur.

3. Peritonitis. Incipit et hic morbus cum febri, quae tamen mitior est; calor universim quidem auctus, ad abdominis circumferentiam major quidquam observatur. Dolor est hic magis superficialis ad totam abdominis plagam extensus varians, trahens, scindens, lacerans, motum intestinorum non sequitur, nec ingestis exasperatur; crurum adtractio est dolorifica et nonnumquam impossibilis. Molesta stranguria aegrum nonnumquam vexat. Deficiunt in peritonitide nausea, ructus, vomituriționes, vomitus et tenesmus etc.

4. Colica saburalis. Hic morbus e diaetetico errore originem trahit. Cognoscitur e sapore, ructibus, vomituritionibus ingesta redolentibus; vomitu levante, quo materies vix assumpta indigesta rejicitur; dolor hic non est continuus, sed remittit, imo et penitus cessat. Haec remissio aut cessatio doloris recte vomitum excipit, eoque magis, quo sufficiens fuit. Febrilia symptomata, si horrorem, qui vomitum ceteroquin comitari so-

let excipias, nulla observantur. Alvi obstipatio nulla adest.

5. Colica spastica. Haec certum typum in suis invasionibus observat, liberaque ab omni dolore concedit aegro intervalla, febri non est stipata, et si febris adest, tum illa non est adeo intensa, et semper symptomatica. Respicientes denique causam occasionalem, et constitutionem individualem nostra diagnosis suffulcietur.

6. Hepatitis. In hepatitide alia atque alia symptomata occurrunt, prouti vel pars concava, vel convexa inflammatione tenetur. Si concava pars inflammatur, dolor ab aegro in hypochondrio dextro accusatur tensivus, gravativus, idemque ad latus dextrum humerumque partis ejusdem pervenit, decubitus in latere sinistro est dolorificus. Tussis frequentior est partim ex diaphragmatis irritatione, partim etiam ex nervorum consensu. Sapor adest amarus, ructus amari, albuginea nonnumquam flavet, et urina profunde tincta est. Febris non tam vehemens observatur, et pulsus plerumque mollis tangitur.

Si pars convexa hepatis inflammatione obsessa est, tunc dolor magis est urens, pungens, qui ab adtactu augetur, hypochondrium dextrum tumet, nonnumquam observatur stupor extremitatum lateris dextri, et juxta *Biernstiel* debilitas oculi dextri majorque rubedo genae dextrae. Monente *Vogelio* c) bene atten-

c) Vogl's Arzneywissenschaft. 3. Thl. S. 298.

dere debet medicus, ne enteritidem habeat pro *psoitide*, cujus eminens symptoma est dolor tensivus, qui a dorso per regionem lumbalem ad inguina et femora usque sub quovis extremitatum inferiorum motu adaugetur.

7. Nephritis, in hac autem dolor magis urget ardens, lancinans in regione lumbali per uretherum decursum usque ad vesicam urinariam, aut per vasa spermatica ad testem, quem nonnumquam retrahit. Observatur stupor unius alteriusve femoris, urina tenuis vel aquosa est, vel sanguine mixta, et in summo morbi augmento excretio urinae penitus silet, pulsusque ab initio morbi plenus et vibrans tangitur.

8. Pleuritis sequentibus se distinguit symptomatibus: pleuritide laborantes habent respirationem abdominalem, quia thoracem ob doloris pungentis augmentum in hoc vel altero latere movere non audent, praeterea inspiratio profunda ob tussis et doloris augmentum impeditur, sputa hinc inde striis sanguineis intime sunt mixta, quae omnia in enteritide desunt.

De causis.

Causae, hunc morbum producentes, sunt vel disponentes, vel excitantes. Disponit constitutio subjecti tenera, gracilis, sensilis, aetas juvenilis, temperamentum irritabile, magis sexus foemineus quam masculus, sensibilitas et irritabilitas tubi intestinalis magna, spastica horum organorum frequens affectio, mor-

bi praegressi inflammatorii viscerum abdominalium, constitutio atmosphaerica phlogosi in genere favens frigido - sicca, humida.

Ad excitantes spectant: Intestinorum vulneratio, laesiones intestini recti per rudiorem clysmatum applicationem, aut suppositoria acria; vermes in tubo intestinali stabulantes, hunc laedentes et perforantes, concussiones, potus spirituosi affatim hausti, et cibi calidi: ut panis recens, aut rebus aromaticis multum conditi ingestio; purgantia drastica, mucum intestinorum deradentia, aloëtica, abortiva imprimis remedia et venena acria; refrigerium praecipue pedum, dormitio in humo frigida, potus frigidus calefacto corpore, non bene fermentatus; suppressio profluviorum consuetorum uti haemorrhoidum, menstruorum, lochiorum diarrhoeae criticae et habitualis; rheumatismi, herpetis arthritidis, scabiei suppressio et ulcerum praematura consolidatio, hepatitis, gastritis, peritonitis, nephritis ad intestina propagatio; spasmi violenti intestinorum, hernia incarcerata, indurationes, scirrhi, volvulus, materiae durae intestina obstruentes; colicae male tractatae aut praetervisae; acre biliosum putridum, dysentericum, erysipelaceum; animi pathemata excitantia, praeprimis ira.

Terminationes.

Intestinorum inflammatio, uti quilibet alius morbus terminatur vel in sanitatem, vel in alios morbos, vel in mortem.

In sanitatem abit, si diagnosis rite instituitur, et morbus rite tractatur. Contingit autem resolutio die quarta vel septima sudore sat largo aequali, urina sedimentum puriforme aut lateritium deponente, vel diarrhoea blanda, quae materiam puriformem, vel subcruentam, vel biliosam excernit, fluxu haemorrhoidali, lochiorum comparente. Vomitus et anxietates evanescunt, abdomen antea tensum durum et dolens nunc concidit, et rudiorem fert contrectationem. In mortem abit, si inflammatio ab initio vehemens fuerit, et totum canalis intestinalis tractum prehenderit, si singultus, delirium se associent, et si ab initio morbi apparatus adaequatus non adhibeatur. Moriuntur tunc quarto vel septimo die.

In alios morbos terminatur fere semper lethum adferentes, uti in suppurationem, adhaesionem, indurationem et gangraenam. Transitum inflammationis in suppurationem indicant mutatio doloris acuti in obtusum et gravem, horrores sine causa febri se immiscentes, et febris mitior. Sequelae suppurationis sunt variae, pro varia via, quam pus sibi parat. Laetior eventus speratur, si abscessus in canalem intestinorum rumpit, aut extrorsum per peritoneum, musculos abdominales

et integumenta communia depletur. Interim tamen in duobus his casibus plenaria valetudo vix restituitur, nam in priori remanent fistulae et aliae difficultates, in altero intestinorum ulcera, tabes, et febris hectica.

Si pus in cavitatem abdominis effunditur, tunc oritur ascites purulentus lethalis. Rarius etiam pus per vesicam urinariam exit.

Induratio timenda est ex protracta et non admodum valida inflammatione praegressa. Formata autem dignoscitur, inflammationis signis evanescentibus, dolore premente et obtuso in loco inflammato remanente alvo tardiori et cum torminibus secedente.

Tractu temporis intestinum, magis magisque angustatur, et oritur ileus lethalis, aut induratio abit in ulcus canceraticum, quod durissimis sub doloribus, vomitu, singultu etc. mortem inevitabilem adfert. Exitus inflammationis in gangraenam signa sunt sequentia: dolores repentine cessant, abdomen intumescit, et percussum meteorice resonat, vesicae coloris fusci, supra partem inflammatam, singultus vexat continuus, aeger faciem exhibet Hippocraticam, extremitates frigent, sūdore viscido frigidoque totum corpus tegitur. Adsunt animi deliquia, lipothymiae, delirium, faeces sponte aegro inscio deponuntur lividae, foetendissimae pulsus tanguntur exiles, intermittentes et debilissimi. In nonnullis mentis peculiaris serenitas ad ultimum usque spiritum observatur.

In sectione cadaverum intestinorum inflammatione demortuorum, inveniuntur intestina maculis rubris obsessa, gangraenosa, a flatibus distenta aut disrupta, vel faecibus obturata; lympha exudata circumvoluta, et invicem cohaerentia. Omentum intestinis concretum, induratum, vel putredine penitus devastatum, pancreas inflammatum vel incrassatum. Peritoneum et diaphragmatis margo inflammatus est, mesenterium induratum, aut suppuratione penitus deletum. In cavo abdominis reperiuntur vel puris vel lymphae coagulabilis effusiones.

P r o g n o s i s.

Intestinorum inflammatio omnino morbum sistit dolorificum, maxime periculosum, et nonnumquam fallacem. In genere in prognosi statuenda medicus nunquam praetervideat constitutionem annuam, epidemicam constitutionem, aegri aetatem, sexum, febris indolem et inflammationis locum. In gravidis et puerperis magis premit periculum, praeprimis in postremis, quia diagnosis difficilis est factu. Porro in prognosi instituenda multum interest, scire, an inflammatio sit erysipelacea aut phlegmonosa, nam prior exitum agnoscit in gangraenam, altera in suppurationem. Inflammatio intestinorum tenuium magis timenda, quam crassorum. Magnum periculum adferunt inflammationes intestinorum in febribus putridis aut nervosis oc-

currentes, nam difficile eruuntur, et vires vitales ad morbum divellendum languent.

Quo graviora ab initio observantur symptomata, eo magis exitus tristis sperandus.

Ubi septimo die resolutio morbi non impetratur, plerumque moriuntur aegri.

Therapia.

In vera et genuina enteritide semper prima est indicatio: phlogoseos processum limitandi, congestiones sanguineas a loco adfecto derivandi, nullum autem ad hanc indicationem explendam remedium existit praestantius, quam venae sectio. Instituatur ergo phlebotomia sat larga ad uncias octo vel decem, quae prout febris intensitas aut doloris augmentum requirit, repetenda erit. Non seducatur medicus pulsu parvo, contracto et debili, qui saepissime in enteritide occurrit, nam haec pulsuum qualitas solummodo sistit debilitatem spuriam, et majorem vasorum sanguineorum evacuationem exposcit, qua vires vitales antea depressae et apparenter debiles exsurgunt. Febre mitigata, topica autem affectione adhuc praevalente, in auxilium trahentur hirudines, cucurbitae et loco affecto applicentur. Interne quadrant remedia diluentia, involventia, leniter alvum moventia. Commendantur: Decocta mucilaginosa ex rad. Althaeae, Salep. ex hordeo, seminibus lini, emulsiones gummosae, amygda-

linae, cannabinae; manna, tamarindus indica, pulpa prunorum, cassia fistula. Laudatur quoque calomel, sed majorem requirit cautionem, quia immediate in inflammationis locum agit, irritat, et inflammationem exasperat, hinc tantum febre fracta, dolore imminuto, intervallis longioribus, et dosi refracta ad granum semis adhibeatur. Cavendum praeterea ab omnibus narcoticis statu inflammatorio vigente.

Potus semper sit gratus, et minori quantitate sicuti et medicamen propinetur ne vomitu rejiciatur uti decoct. Salep. vel althaeae cum syrupo aliquo grato, aut emulsio amygdalina.

Externe bene adhibentur cataplasmata emollientia non nimis ponderosa, illinitiones ex unguentis emollientibus, balnea tepida cum furf. tritici et lacte parata, ad cutis transpirationem promovendam, dolorem mitigandum, et vomitum sedandum, sed attendendum, ne nimis sint calida. Clysmata emollientia mucilaginosa, quibus manna addi potest, saepius repetita summopere quadrant.

In enteritide secundaria semper causae sunt respiciendae et amovendae. Si venena in causa sunt, tum haec oleosorum, mucilaginosorum et lactis usu sunt obvolvenda, et apparatus antiphlogisticus generosior est opponendus. Si lochiorum, haemorrhoidum, menstruorum fluxus suppressus hunc morbum produxerit, suadentur evacuationes sanguineae ope hiru-

dinum genitalibus vel ano applicatarum, vapores tepidi, pediluvia tepida.

Exanthemata retrogressa per irritantia rubefacientia ad pristinum locum revocanda, herniae incarceratae juxta chirurgiae regulas tractandae, et colluvies biliosa, putrida, acris reddita per mucilaginosa, oleosa, mannata, tamarindi, eliminanda est.

Aliam plane curam exposcunt enteritides cum febribus putridis aut nervosis complicatae, in subjectis constitutione tenella, cachectica donatis. Hic venae sectiones rarissime locum sibi vindicant, et si tamen instituentur, hoc explorandi causa cum maxima cautela et circumspectione fiat, nam missione sanguinis generosiori vasa collabuntur, vires vitales exhauriuntur, et aeger certo certius orco traditur. Contrario, si solummodo excitantia, stimulantia et antiseptica remedia adhibeantur, inflammatio adaugetur, et gangraena citius invitatur.

Optime consulatur aegro d), si juxta symptomatum praevalentiam modo hanc, modo illam medendi methodum medicus in auxilium vocat; sed semper caute mercandum cum remediis stimulantibus, alexipharmacis, calefacientibus fortioribus.

In tractandis his morbis medicum adhuc dirigere debent anni tempus, constitutio epidemica, endemica,

---

d) Rayland medizinische Abhandlungen. S. 207.

morbi praegressi, aetas, temperamentum et circumstantiae aegrotantis.

Si nisus inflammationis in gangraenam abeundi jam emergat, tunc Moschus, Camphora, Castoreum cum mucilaginosis suadentur. Hoc autem solummodo valet de inflammatione erysipelacea, nam in genuina continuanda est methodus antiphlogistica.

Ubi ex signis antea descriptis elucet, inflammationem in suppurationem terminare, semper quousque vires vigent, apparatus antiphlogisticus est opponendus, et abscessus decoctis cataplasmatibusque emollientibus ad maturitatem deducendus.

Si abscessus ruptus est, tunc cortex peruvianus, Lichen, Mirrha et diaeta lactea ad illum consolidandum quadrant. Quotsi intestinum, quod aliquando fit; cum peritoneo concreverit, abscessum extrinsecus aperire oportet.

Ubi inflammatio a rebus duris intestina obstipantibus eminet, exhibentur per intervalla potiones purgantes ex foliis sennae, manna, tamarind. vel oleum lini, vel olivarum aut amygdalarum cochleatim omni hora, simulque injiciantur clysteres emollientes omni tri - vel quatrihorio. Porriguntur omni quadrante horae drachmae duae, usque ad unc. integram superbibendo jusculum carnis, et aeger in cubiculo obambulare debet. Si stimulum ad alvum exonerandam non sentiat, idem remedium erit repetendum, simulque clysteres aliquot per intervalla injiciendae sunt,

etsi merc, vivus viam expediat, potione mannata utendum, qua materia obstruens paullatim eliminatur e).

Nonnulli exhiberi suadent globulos plumbeos, sed tristia exempla illorum usum vetant, nam immobiles in intestinis haerent, et inflammationem exasperant f).

Si hac ratione obstructio non expediatur, alii ope machinae hydraulicae felici cum successu aquam tepidam magna quantitate ano injiciunt g). Si autem hoc optatum effectum non praestiterit, jam *Praxagoras* h).

Barbette i), *Bonnet* k), ipsam suadent abdominis incisionem, ubi intestina sensim educuntur, volvuli locus quaeritur, digitis explicatur, quo facto intestina iterum reponuntur.

Indurationes intestinorum morbum sistunt diagnos isdifficilis, curationisque longe difficiloris et vix impetrandae. Remedia maxime laudata sunt: mercurius externe et interne, aqua laurocerasi, cicuta, belladonna, et balnea tepida cum sapone.

---

e) A. Waschatko diss. de inflammat. intest.

f) Acta nat. curios. Vol. IX. p. 22.

g) Videmar Giornale di Medicina. T. 11. p. 245.

h) Coelius Aurelianus morb. acut. lib. III. cap. XVI. p. 244.

i) Anatomia pract. lib. IV. cap. 1.

k) Anatomia. pract. lib. III. rect. XIV. T. 11. p. 288.

Caveant sibi aegri a medicamentis calefacientibus irritantibus emeticis, purgantibus et cibis flatus gignentibus. Victus sit tenuis, et alvus tarda per clysmata sollicitanda est.

Theses defendendae.

I.

Quidquid existit, vivit.

II.

Non idem sanguis in omni continetur vase.

III.

Omni remedio sua est actio specifica.

IV.

Bilis secretio, non unica nec praecipua est hepatis functio.

V.

Affines plantae similibus gaudent virtutibus medicis.

VI.

Nux vomica qua antiparalyticum remedium considerari non potest.

VII.

Non omnis febris, symptomatibus nervosis stipata, nervosa est.

VIII.

Arsenico medicina sine damno carere potest.

IX.

Citius, securiusque syphilis sanatur, si penes mercurium decocta sic dicta purificantia, ut: radicis bardanae, ligni guajaci etc. aegro exhibentur.

X.

Vitam aegri prolongare, si sanitas restitui nequit, aeque suprema in chirurgia est indicatio.

XI.

Non licet dubias medicaminum virtutes in alieno corpore tentare, nec experientiae causa operationes periculosas instituere.